

EPISTOLA

ORNATISSIMO ET PRVdentissimo uiro Domino Heinrico Veidnower, Consuli Veldkirchensi, Ioachimus Rheticus S. D.

MVLTA sunt argumenta, liberales artes, quibus hanc uitam nõ solũ ornauit Deus, sed etiã adiuuit uarie, diuinitus ostensas, & à sanctis hoibus inde usq; ab originali mundo ad posteritatem transmissas esse. Nam & usus in uniuersa uita patet latissime, & ipsa ordinis ppetua consensio, qua præceptum unum ex alio quasi enascitur, ueritatis non obscurum est indicium, quam solius Dei opera, tanquàm propriam notam, diuinæ originis habent. Itaq; meorũ præceptorum & consilium in conseruandis honestis artibus admiror, & diligentiam merito prædico, qua eas primæ ætati instillant. Nam, ut de me dicam, ueniebam domo Vuittebergam mediocriter institutus, illis primis nõ tam artibus, quàm summarum artium instrumentis. Ad eam cognitionem, accesserat parentis diligenti cura, numerorum notitia. Nam hãc, etsi mercatores sui maxime commodi causa in pretio habendam censent, tamen profecto longe maiores usus in omni uita præstat. Siue autem præceptor meus, Philippus Melanthon, nostri seculi uniicum ornamẽtum, quòd numerorum cognitione essem aliquo modo instructus, siue aliam ob causam, me Mathematicis disciplinis adhibuerit, nescio. Hoc tamen summo studio perfecit, ne in eo genere literarum, quod mihi sequendum iudicarat, negligentem operam nauarem. Ac postquàm ex Ioanne Volmaro, gentili nostro, uiro Doctissimo, Geometricæ & Astronomicæ præcepta didicissem, euocauit me Noribergam insignis fama, uiri non solum in hoc genere disciplinarum Clariss. sed etiam in omni uita optimi Ioannis Schoneri. Ab eo Tubingam conæsi. Nam istic uir omnium memoria dignissimus Ioannes Stoflerus, non solum huius artis illustria monumenta, sed etiam discipulos eximios reliquisse ferebatur. Accidit autem, ut hac occasione etiam in Clarissimi uiri Ioachimi Camerarij notitiam uenirem, qui & has artes faciat maximi, & in reliqua literatura ita excellit, ut singulare Germaniæ ornamentum esse merito prædicatur. Cum deniq; in Septentrionalibus partibus, D. Nicolai Copernici famam tantam esse audirem, etsi tum Academia Vittebergensis me publicum professorem istarum artium constituisset, tamen non mihi putaui acquiescendum, donec etiam illius institutione addiscerem aliquid. Nec profecto neq; sumptuum, nec itineris, nec aliarũ molestiarum me pœnitet. Ingens enim operæ pretium in eo mihi fecisse uideor, quod hominem ætate nunc grauem, iuuenili quadã audacia, perpuli ad rationes suas in hoc genere disciplinæ toto mundo maturius communicandas. Iudicabunt idem mecum eruditi omnes, cũ libri, quos nunc

A 2

Collage zu Wittenberg und Feldkirch

Widmungsbrief aus Wittenberg (1542) an den Feldkircher Bürgermeister (Stadtammann)
Bartholomäus Bernhardi aus Schlins/Feldkirch, erster verheirateter Priester
Bartholomäus Bernhardi, Hochzeit am 24. August 1521, Trauzeugen Luther & Melanchthon
Der erste Bericht *Narratio prima* des Rheticus (1540), Titelseite
Rheticus-Sonnenuhr, in einer Schrift von 1542 an seine Wittenberger Studenten
Vorlage für die Rheticus-Sonnenuhr am Domplatz in Feldkirch